Q. B. F. F. Q. S.

SCHOLAE ROSLEBIANAE

ABHINC TRECENTOS ANNOS

DEDICATAE AB

HENRICO A WITZLEBEN

EQUITE ET DOCTORE IURIS UTRIUSQUE

SOLLEMNIA SAECULARIA

DIE V. MENSIS IULII ANNI MDCCCLIV.

PIE CELEBRANDA

INDICUNT

COMMUNI CONSENSU DISCIPULI

INTERPRETE

BERNARDO GISEKE.

Quaeritur: num quas belli Troiani partes Homerus non ad veritatem narrasse videatur.

PROSTAT MEININGAE APUD L. AB EYE.

Vetus est fama multis ante bellum Troianum annis Teucros et Mysos ex agro Troiano in Europam transgressos magnam Thraciae Macedoniaeque partem bello occupatam vastasse. Inter maxima, quae unquam gesta essent bella, eam rem posuit Herodotus (VII, 20): bello enim, quod Xerxes contra Graeciam gessit, quamvis magnitudine ceteris praestaret, posse tamen quodam modo comparari Darium Scythis bellum inferentem, Scythas ipsos Asiam vastantes, bellum Troianum, hanc denique Mysorum et Teucrorum expeditionem: Bosporum, qui antiquissimis temporibus Mysius (Strab. XII, ed. ster. 54. A. 849), post Thracius vocatus est, transiisse eos populos et ad Peneum usque pervenisse a meridie, ab occidente vero ad mare Ionium. Sedes quoque iidem in Thracia Macedoniaque collocarunt. Apud Darium enim Sardibus commorantem Paeones quidam praedicaverunt (Her. V, 13. Eust. Jl. 272, 23. Bas.) se accolas esse Strymonis, oriundos a Teucris Troiano populo. Et egregie horum hominum opinio confirmatur iis, quae de sua origine ipsi narrabant Bithyni. Qui cum in Asia prope Propontidem sedes haberent, Thraces tamen semper appellati sunt, quod maiores eorum prope Strymonem Thraciae fluvium habitasse, sed a Teucris Mysisque inde pulsos in Asiam transiisse constabat (Her. VII, 75. Steph. *Στρυμών*). Satis magna igitur hominum multitudo in Thraciam immigrasse videtur, quamquam eius rei perraro apud Graecos mentio fit, cum tam vetusta quaeque ad barbaros pertinerent non curarent. Significavit tamen eam rem etiam Strabo (I, 97. A. 106. cf. XII, 65. A. 858), ubi dixit earum mutationum, quae tot saeculorum decursu factae essent plurimae, alias omnibus notas esse, nonnullas ut Carum, Trerum, Teucrorum migrationes perpaucis. Fuit quoque opinio navibus omnium primos usos esse Mysos et Troianos sive Teucros, cum in Thraciam belli causa transirent (Plin. h. n. VII, 56, 206). Plura narrat Lycophron (1341 cum schol.), Ilum, vel quem Tzetzes vult Laomedontem, regem Troiae, Thracia Macedoniaque subiecta ad Peneum usque imperium Troianum protulisse.

Universa vero haec ratio nescio an latius pateat ad explicandam eam, quae inter incolas Asiae minoris Thraciaeque intercedit similitudinem. Quam video multos vexasse veterum. Cum enim, ut alia mittam, Phryges, Mysi, Dardani in utraque appellarentur continente neque utri utros colonos misissent memoriae proditum esset, veteres quidem scriptores, alii alias sententias secuti, argumentis ad demonstrandum haud raro usi sunt aut aperte falsis fictisque aut inter se repugnantibus et vere ridiculis. Nec mirum, cum statuerent de re, de qua nihil certi accepissent. Quae persequi longum est, nec huius vel loci vel temporis. Quae Paeones, quae Bithyni de suis ipsi originibus narraverunt, magis me movent quam grammaticorum opiniones vel coniecturae. His igitur utar pro veris, accedente dumtaxat auctoritate cum Herodoti aliorumque tum Homeri, ad quem iam pervenio.

Homerus enim cum inter auxilia Troianorum recenseat Thraciae incolas magnamque eorum multitudinem Troiae fuisse saepe significet, quid fecit aliud nisi quos sanguine coniunctos fuisse intellexit, eosdem societatem foedusque habuisse dixit. Vix enim e sinu Thermaico, cum Thessaliam Graecosque portus tam prope attingerent, tam periculoso itinere, opem tulissent urbi tam remotae, nisi genus ab

ea ducerent. Hac igitur in re Homerus cum ipse res gestas ad veritatem narrasse videtur, tum egregie confirmat ea, quae ab Herodoto aliisque dicta, magna auctorum penuria, nobis dubia videri possint. Quaenam vero fuerint sedes Paeonum, quae gentes earum, quae Thraciam incoluerunt in Paeonibus numerandae sint, qui denique Thraciae populi ex Asia simul cum Paeonibus sive Teucris in Europam transiisse videantur, nolo hic ea persequi, quamquam si quis in singula inquisiverit, multa inveniet ad fidem firmandam eorum, quae universe posui. Prope Axium Strymonemque Paeones habitasse constat, Chalcidices partem quondam tenuerunt eam maxime, quae ad sinum Thermaicum spectat, iis porro gentibus, quae secundum mare inde ab ostio Strymonis usque ad Hebrum sinumque, qui vocatur Melas, habitaverunt, ut regione vicini sic propinquitate coniuncti videntur fuisse.

E sinu Thermaico auxilia Troiam venisse etiam, qui diligentissime omnium de iis rebus exposuit, Hellanicus (apud Dion. A. R. I, 47) testis est. A Crusaeis enim gente Thracia in Pallene peninsula habitante longe acerrimo studio Priamum Troianosque adiutos esse dicit, quoad bellum esset, Troia vero capta Aeneam cum paucis profugum classe ad Pallenen appulsa benigne a Crusaeis exceptum in ea regione condidisse urbem Aeneam: in qua quidem etiam Romanorum temporibus ei honos habebatur ut conditori. Crusaeorum nomen non habet Homerus, sed videtur eos Paeonum numero comprehendere, quos Pyraechme et Asteropaeo ducibus ab Axio fluvio Troiam venisse dicit. Praeter Paeones Cicones commemorat, quos post Troiam deletam rediens Ulysses ultus est: denique quos nomine a terra ducto Thraces vocat Hellespontios. Horum dux fuit Pirous Imbrasi filius Aeno oriundus (*Δ* 520). Fuit autem Aenus regnum Poltyis cuiusdam, qui ut bellum nondum coeptum componeret, cum legati Troianorum Graecorumque ad eum venissent, promisit duas se pulchras feminas Paridi daturum esse, si is Helenam Menelao reddidisset.

Nec societate modo ad bellum Graecorum defendendum, sed etiam cum commercio ad mutuos vitae usus tum connubiis Thraces Troianis coniuncti fuerunt. Priamus ipse legatus ad Thraces missus multis cum donis inde redierat (*Ω* 234): eius filius Helenus gladio in pugna utitur Thracio (*N* 577): saepe denique nobiles Troiani uxores duxerunt e Thracia. Ex quibus Theano filia Cissei reguli Thracii, uxor Antenoris, non peregrinarum sed civium iure Troiae vixit, sanctissimo Minervae Poliadis praedita sacerdotio (*Z* 300. *Λ* 223). Filius deinde eius Iphidamas in Thracia apud avum a parvo eductus, cum matris sororem in matrimonium duxisset, bello demum inchoato duodecim navibus Troiam rediit, ut suis auxilio esset. Quid, quod Priamus ipse uxorem habuit Castianiram Aesyme Thraciae urbe oriundam, ex qua filium Gorgythionem genuit (*Θ* 304). Post Homerum multa similiter apud poetas narrantur de Polymnestore aliisque: Hecubam ipsam nonnulli Thressam esse volunt: sed ea mitto. Nihil enim ad Homerum. Satis patet apud hunc Thraces cum Troianis et foedus et connubia habuisse atque eorum consanguineos fuisse.

Nihil tale de Lyciis, quos Sarpedon Troiam duxisse dicitur, nihil de Lydis, nihil de ulla externarum gentium, quae auxilia miserunt, praeter Phryges. Nisi forte Othryoneus ille, cui Cassandra desponsa erat (*N* 363), Paphlago erat, nam Cabessum, unde ortus erat, alii Thraciae alii Paphlagoniae urbem fuisse affirmant. Videntur igitur Paeones, cum a Teucrorum stirpe oriundi essent Troiaque profecti in Thraciam venissent, Graecis urbem obsidentibus Troianis ut propinquis et amicis opem tulisse. Vel si quis neget unquam tale gestum esse bellum poetamque quae de natura rerum vel de rebus divinis sentiret hominum imaginibus significata hoc carmine expressisse: certe id mihi concedet apte ad fidem rei faciendam eum hos Thraces finxisse auxilia mittentes in eam regionem, ubi propinqui consanguineique viverent.

Quodsi haec recte dixi, porro quaerendum est quae sit ratio eorum auxiliorum, quae e Lycia aliisve partibus Asiae minoris Troiam venisse Homerus narrat.

Non dico Dardanos, quorum Aeneas, non Lycios illos, quorum Pandarus dux fuit, non denique eorum ullos, qui primi inter Troianorum auxilia recensentur (*B* 819—839): hi enim ipsi Troiani sunt vel Priami imperio ita subiecti ut non separentur a Troianis: de illis dico, qui post Paeones (*B* 851 seqq.) describuntur, Paphlagonibus, Mysis, Lydis, Lyciis. Nec de omnibus simul, sed separatim de singulis quaerendum est. Alia enim alius populi ineunda erit ratio. Quare nunc quidem de Lyciis disputabo.

Qua quidem in re, antequam ad ipsam disputationem pervenio, cavendum videtur ab eo errore ne, si qui forte apud Homerum minus saepe commemorentur, eos continuo a poeta nescio quo contra rerum veritatem fictos esse credamus. Cum enim verisimile sit illas res per multorum annorum spatium sermone vulgari non scriptura memoriae proditas esse, antequam carmen de iis conderetur: fieri potuit ut quae antiquitus fuerat singularum partium ratio, paullatim immutaretur suique dissimilis fieret. Unum ponam, quod certe potuit fieri et haud scio an factum sit. Qui enim homines eas res narrabant, Graecos maxime dico, qui in Asia minore habitabant, cum praeterita ad praesentia accommodarent, ut sunt hominum ingenia, haud scio an eos populos, quibuscum ipsi in Asia saepe bella gerebant, transtulerint ad bellum illud Agamemnonis, quod antiquis temporibus inchoatum, a se rursus susceptum et absolutum esse gloriabantur. Non continuo tale aliquid factum esse dico, sed fieri potuit et si fieret oportebat immutari veritatem eorum, quae de bello Troiano narrarentur. Quare sic statuo. Non eam, quam nos legimus, Iliadis compositionem potissimum esse spectandam, nec si quae eius carminis partes uberius tractentur, eas continuo videri ad veritatem narratas esse: sed quaerendum esse de singulis hominibus populisque, quaenam eorum antiquissimo tempore fuerit conditio, quanam ratione ad Graecos Troianosve pertinuerint: comparanda esse omnia, quae de tanta rerum vetustate comperta habeamus, cum iis, quae dubia videri possint aut certe nondum probata sint. Multa in medio relictum iri video: nonnulla probari posse spero.

Solent vero duo Lyciorum duces coniungi in media Iliadis parte, separantur in prioribus libris. Et Glauci quidem primum mentio fit in colloquio, quod cum Diomede habuit (*Z* 119—236). Est ea narratio et rerum suavissima varietate ornata et pulcherrimis floribus luminibusque dicendi distincta: nunquam frangitur, sed, cum plena vigoris sit, facile currit animosque audientium mira quadam dulcedine capit: ita ut Graecis carminibus, quae quidem ad nos pervenerunt, si non omnibus at certe permultis longe praestet. Iam vero annotatum est in scholiis Venetis inter veteres interpretes non satis convenire quo loco ponenda sit, ab aliis enim ad alium locum eam referri. Nec est profecto, cur eo, quo nunc est, loco potissimum legatur. Si enim versum centesimum duodevicesimum perpaucis mutatis sequeretur ducentesimus tricesimus septimus, oratio non esset abrupta sed apte eleganterque procederet. Interponuntur enim haec de Glauco iis, quae sunt de Hectore e pugna abeunte et adveniente prope portam: quae quidem et apte continuari possunt et haud scio an a principio continuata fuerint. At sunt multa similiter in tam longo carmine, cum diversis locis eodem tempore quid actum sit exponatur. Sunt sane: quamquam exemplum nullum puto inveniri tam luculentum. Quid vero hic de illa quam dixi grammaticorum controversia statuendum, qui profecto nunquam quo loco haec ponerent dubitavissent, nisi ipsi libri, quorum copiam habebant, locum dubitationi dedissent? Decimam quoque rhapsodiam (Doloniam vocant) a Pisistrato demum eo, quo nunc est, loco collocatam esse scimus, cum ante eius aetatem a ceteris seiuncta fuisset. Pari modo hanc de Glauco narrationem a principio a reliquis separatam, post nescio a quo illatam, aliam apud alios sedem incertamque habuisse patet.

Sequitur certamen Sarpedonis cum Tlepolemo (*E* 627—698). Hic quoque quae antecedunt quaeque eam narrationem sequuntur, apte inter se cohaerent, ut si ne verbo quidem mutato a versu sexcentesimo vicesimo sexto ad undeseptingentesimum transeas, nihil deesse videatur. Habet vero ipsa

narratio eam difficultatem, quod Tlepolemus Doriensis non potuit Rhodo Troiam venire. Argis enim Dores Rhodum multo post bellum Troianum venerunt: post conditam demum eam coloniam Rhodii, ut solent Graeci posteriorum temporum colonias ad fabulosos referre auctores, Tlepolemum ante reditum Heraclidarum breve tempus Argis commoratum coloniam Doriensem inde Rhodum deduxisse finxerunt. Ceterum in recensione tantum navium aperte indicatum est Rhodo Tlepolemum Troiam venisse. Ea quam dico narratio nihil habet praeter nomen eius, non addita patria: nisi quod interpretes hac Sarpedonis cum Tlepolemo pugna significari putant eas inimicitias, quae inter Lycios Rhodiosque intercederent. Sed mihi Homerus, qui semper de nobilium virorum patria, genere, vita exposuit, ne quid praetermitteret, quod orationem vel exornaret vel dilucidiorem redderet, cum in hac narratione nihil de Tlepolemi patria inveniatur, videtur ea respexisse, quae antea de ea re dicta erant. Rhodius igitur putandus est, quamvis temporum ratio hoc modo non constet. Videtur autem universa narratio non eo quo nunc est loco semper fuisse, sed interposita esse alii orationi, cuius partes apte procedunt his e medio sublatis.

Similis est ratio alius loci eiusdem rhapsodiae (*E* 471—493), quo Sarpedon graviter Hectorem vituperat. Nam cum Mars ipse Troianos ad pugnam hortatus esset, non erat, cur Sarpedon quae ille breviter dixerat repeteret, mutatis verbis adiectisque nonnullis, quae certe ad rem non pertinent. Profecto melius versum quadringentesimum septuagesimum sequeretur uno verbo mutato quadringentesimus nonagesimus quartus. Quae enim in medio posita sunt mirifice impediunt orationem *).

Iis quos modo commemoravi locis quartus accedat (*H* 13—16), ubi Glaucus commemoratur. Ne hi quidem versus recte videntur positi esse. Cum enim Paris et Hector ex urbe in pugnam rediissent, quid uterque eorum fecisset dicendum erat, Glaucus vero cur iis tertio loco adderetur, nihil erat causae.

Sunt igitur hi quatuor loci, qui in priore Iliadis parte usque ad librum octavum de Lyciis inveniuntur soli, omnes ita comparati ut cum ceteris non cohaereant, sed continentem orationem impediant meliusque tollantur quam relinquantur. Quod si semel bisve fieret, casu factum esse putaremus. Sunt enim talia in tam longis carminibus. Cum semper fiat, non sine causa. Horum igitur Lyciorum, quos Sarpedon Glaucusque Troiam duxerunt, nomen in priore Iliadis parte usque ad octavum fere librum recte inveniri nego. Aliorum auxiliorum certamina iis libris continentur, Thracum maxime de quibus supra dixi. Lycios vero, quorum res gestae inde a duodecimo libro uberrime narrantur, in eos qui antecedunt libros quatuor locis male nescio quis inseruit. Talia enim qualia sunt **Τρώων ἢ Λυκίων** (*Δ* 197. *Z* 78) vel **Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι** (*Θ* 173) referenda sunt ad eos Lycios, qui prope Troiam habitabant duceque Pandaro ad bellum venerant: etsi post octavum librum aliter intelligi possunt.

Venio iam ad eos libros, quibus Sarpedonis Glaucique res narrantur: sunt autem maxime duodecimus, sextus decimus, septimus decimus. Quae in his libris narrantur, plerumque ad Lycios pertinent. Murum oppugnant, partemque eius occupant, deinde pugnant cum Patroclo et fugantur: necatur denique Sarpedon. Qua quidem in pugna cum Iupiter, ut quem filii misereret, cogitaret Sarpedonem vivum e pugna in Lyciam transferre, prohibitus est a Iunone. Nam erat timendum ne, si ipse Sarpedonem, tum ceteri quoque dii suum quisque filium contra fatum servaturi essent. Quare permisit quidem Iupiter ut interficeretur a Patroclo, corpus vero mortui, quemadmodum Iuno ei suaserat, per Apollinem lavandum et per Mortem Somnumque reportandum curavit, ut in Lycia a propinquis debitus

---

*) Saepe id fit iis, quae Sarpedon dicit, cf. *E* 471 seqq. *M* 310 s. 409 s. *Π* 422 s. Post eius mortem Glaucus has quoque eius partes egit *P* 140 s.

ei honos haberetur (*Π* 431—458. 666—683). Multa sunt in his versibus, quae legentes morentur. Nam cum hic Iuno atque Apollo apud Iovem in Ida monte sint, paullo vero supra in coelo altera fuerit alter apud Troianos, statuendum est aut non respici, quae modo dicta sint, aut intelligi factum esse aliquid, etsi non narretur. Quid porro Apollini commune cum mortuo? qui deus cum semper sit purissimus longeque remotus a sordibus morientium, sui quasi ipse oblitus, Sarpedonis corpus tractasse manu et aqua admota abluisse creditur. Neque vero subditicios existimaverim hos versus, ut Zenodotus, qui aut omnes aut certe plurimos virgula notavit. Si enim abessent, nihil dictum esset de Sarpedonis corpore, de quo omnino dicendum est. Nisi forte arma cepit Patroclus, corpus nec ipse curavit nec Troiani Glaucusve. Quae mihi quidem sola videtur esse ratio explicandi, potest ea Eustathii verbis exponi, quamquam is vir de universa re aliter atque ego iudicavit. Transferam autem quae (1090, 48) dixit ex Graeco in Latinum: „*Notandum est Homeri has esse ratiocinationes. Nam cum, ut videtur,* „*sciret (neque enim si quaereret difficile erat scire) in Lycia sepultum esse Sarpedonem, id quomodo* „*factum esset consideranti in mentem venit, fieri potuisse ut vivus e pugna raperetur domique supre-* „*mum diem obiret. Vidit autem Homerus id non factum esse (aliter enim narrabatur), sed eum potius* „*occubuisse cum laude in pugna, deinde, ut dicturus est, corpus eius illuc delatum esse.*“ Nimirum enim sensit Homerus, ut recte Eustathius intellexit, eorum, qui apud Troiam interfecti essent, in illa regione ostendi sepulcra, non Aiacis modo Hectorisve sed etiam aliorum, qui et gradu dignitatis et virtutis laude multo inferiores essent, ut Pandari: Sarpedonis vero non in Troade esse monumentum sed in Lycia prope Xanthum urbem, ut dicit Appianus (b. c. IV, 79). Quod qui factum esset, nisi probabiliter explicaret poeta, timendum erat ne audientes non crederent, quae narraret. Satis enim notus erat ager Troianus plenusque documentis, ad quae, cum et vera facile probarent et falsa refutarent, debebat poeta quam potuit maxime accommodare suam narrationem. Atqui cum eum, cuius sepulcrum in Lycia esset, narraturus esset a Patroclo occisum esse apud Troiam, finxit Iovem dolentem de morte filii et in Lyciam transferentem corpus mortui: qui si non sepultus fuit apud Troiam, profecto nec cecidit in ea regione nec unquam cum exercitu ad Priamum venit.

Est igitur inter auxilia Troianorum plane alia ratio Thracum et Lyciorum. Illos consanguineos amicosque veteris societatis vinculum duxit Troiam, ut opem ferrent suis: hos nulla necessitas coëgit, sed poeta finxit Troiam venisse, cum nihil tale fecissent. Quod quo dilucidius exponatur, ea considerabo, quae apud Homerum cum Sarpedonis rebus ita coniunguntur, ut separari non possint. Dicendum igitur est de muro, quo decimo belli anno Graeci castra sua circumdederunt. Eius enim oppugnatio maxime facta est a Lyciis.

Multa erant apud Homerum, quae cur ita facta essent quaererent veteres: cur non incipiente sed prope perfecto bello recenserentur naves, populis distinguerentur pugnantes, cur Priamus Graecorum duces decem iam annos ipsum oppugnantes non nosset, sed Helenam percontaretur de singulorum nominibus, cur Achilles potissimum is esset, qui concione vocata pestilentiae occurrendum censeret: multa denique similia. Quae quidem omnia ab illis non ea, qua nos in tali re versamur, ratione explicantur. Nos enim etiamsi Priamus primo anno Graecorum nomina ab Helena quaesivisset, facile eam potestatem poetae concederemus, ut statueret decimo anno id factum esse: non enim iisdem, quibus rerum scriptorem, poetam legibus adstrictum esse putamus, sed dummodo ne ridicula vel dissimilia veri narret, eum rerum ordinem ab eo volumus institui, qui maxime placeat proximeque accedat ad pulchritudinem. Non igitur vituperamus, quod non primo anno Priamus de Aiace ceterisque quaesiverit, sed delectamur quod suavissime narravit poeta decimo id anno eum fecisse. Veteres vero Priamum ne potuisse quidem antea quaerere, quam quo tempore quaerit apud Homerum, argumentis desumptis e rebus gestis, non spectantibus ad pulchritudinis sensum demonstrare conati, hac sola ratione posse excusari poetam si-

gnificaverunt: non quod ipsi pulchritudinis sensu destituti essent, sed quod putabant nihil antiquius habuisse poetam, quam ut has res sic narraret ut gestae essent. Arctioribus illi finibus circumscripserunt poetae sive arbitrium sive iudicium, profecto non alia de causa nisi quod vera esse credebant, quae narrarentur de bello Troiano, si non omnia at certe plurima. Cautissime igitur poeta versari debebat in iis, quae addere vellet: vix enim crediderim eum quae pro veris narrarentur magnopere immutasse. Nova addere poterat: quae si probabiliter adderet, a poeta ficta esse quis sciret. Iam de muro videamus. Qui cur decimo anno sit exstructus omnes miramur. Quid enim magis necessarium iis, qui tam propinquis hostibus castra haberent. Neque vero tum primum caruerunt Achillis auxilio, qui cum tot urbes terra marique expugnaret, certe non raro aberat ab exercitu. Saepissime igitur occasio fuerat Hectori naves ita oppugnandi, ut non pugnaret cum Achille: quare non recte iram Achillis excusant interpretes. Neque erat, cur iam desperarent Graeci fore ut Hectori sine muro resisterent, ancipiti enim fortuna pugnatum erat. Nec profecto ea qua supra hic utemur excusatione, posse quaedam ad aliud tempus transferri aut propter necessitatem, ut navium recensionem, quo melius intelligantur sequentia, aut propter pulchritudinem, ut illum Priami Helenaeque sermonem, quia placeat. Quid enim magis molestum, quid magis frigidum quam illa muri constructio, quam sex versibus (*H* 436 seqq.) inclusit poeta, temporis vero spatio tam exiguo, ut vix minima pars eius operis absolvi potuisse videatur. Patrocli contra rogum quanta cum cura exstruxit, quam diligenter singula persecutus est, distinxit operas, commemoravit Merionen praefectum, materiam indicavit, formam magnitudinemque operis significavit. Quodsi noluit similiter in muri descriptione versari, satius erat fingere fuisse murum iam a principio belli exstructum. Poterat enim non sine aliqua veri specie uti illo propugnaculo, quod Thucydides (I. 11) a Graecis prope litus factum esse dicit: quamquam non murus is erat, quo tot naves cingerentur (qualem vix fieri potuisse apparet), sed potius arx quaedam (*ἔρυμα* vocat Thucydides) collocata apte ad varios belli casus defendendos. In qua si illa certamina exposuisset poeta, quae inde a duodecimo libro sequuntur, debebat multa immutare eorum, quae vulgo narrarentur, prioribusque libris adiicere mentionem muri, quae nulla in iis erat: quo facto futurum erat ut nihil relinqueretur satis dignum fide. Unum enim si appareret mutatum esse ex arbitrio poetae, quid de reliquis statuendum erat. Maluit igitur ab iis, quae sicuti acceperat sic exposuit, longe separare et disiungere ea, quae ipse finxisset, ne haec illis obessent.

Non enim dubito quin de muro recte statuerint veteres: qui quid senserint ipsorum verbis declarabitur. Ponam autem primum Eustathii verba (567, 15) „*Graecorum hunc murum antiquis placet* „*fabulam esse fictam ab Homero: revera enim, ut dicunt, nunquam fuit, sed cum fingeret poeta murum* „*factum atque oppugnatum esse, non quae facta sunt narrarit, sed simulavit facta esse, neque exposuit* „*vera, sed falsa supposuit.*“ Et significavit ipse Homerus haec a se ficta, non ad veritatem scripta esse. Nimirum enim muro exstructo necesse erat exstare eius vestigia. Nam etsi magna pars a pugnantibus diruta erat, manebant tamen lapides, manebat fossa: qualia saepe in vetustis constructionibus cernimus, ut intelligamus et murum fuisse et quo loco. Atqui huius Troiani muri, quem Homerus exstruxit, nulla fuerunt vestigia. Hinc facile apparebat non fuisse murum atque ficta esse quaecunque ad eum pertinerent. Quod cum timeret, curavit poeta ut rationem iniret, qua fuisse viderentur, quae non fuerant. Idque fecit non expugnato demum muro, sed quo loco primum eius mentionem iniecit, confestim ne dum dubitarent abalienarentur audientes, ipse occurrit deosque ipsos induxit de ea re decernentes. Nam cum Neptunus timeret ne eo, quem ipse cum Apolline fecerat, insignior fieret murus Graecorum infringereturque sua gloria, Iupiter ei promisit hunc quidem funditus deletum neque ullum eius vestigium relictum iri. Quod quomodo factum esset, antequam apud murum pugnaretur, poeta anticipandum sibi duxit. Octo igitur flumina ad murum avertisse Apollinem, maris fluctus eodem impulisse tridente Neptunum, imbres denique maximos coelo demisisse Iovem dicit. Ridiculum

sane, quod a Graecis perexiguo temporis spatio factum, a Troianis iam labefactatum esset, id ut deleretur tres potentissimos deos novem diebus vix effecisse. Non vero hoc curavit poeta sed illud maius, ut ne quod vestigium relictum esse videretur. Quamobrem in mare delati sunt lapides atque omnia arena cooperta soloque aequata (cf. schol. ad *M* 25. Eust. 842, 42). Recte igitur poeta bis de ea re egit (*H* 443. *M* 10) ut appareret et cur deleretur et quomodo: neque subditicius mihi, ut quibusdam veterum, videtur superior locus, quo sublato qua re commoti essent dii lateret. Iam utar scholiis, ut veteres idem sensisse demonstrem. Sunt autem haec fere (ad *M* 4): „*Postquam honoris* „*Achillis causa murum finxit, deleri eundem funditus dicit, ne quando quae non vere dixerit pernoscan-* „*tur a posteris. Quapropter interiisse dicit murum.*“ Alii eodem loco haec habent: „*cum ipse ex-* „*struxisset, ipse delevit quoque, argumenta aboliturus quibus refutari posset. Auctores vero delendi* „*muri fecit deos iratos, quia sacra non rite facta essent*“ (cf. ad *H* 445). Eustathius haec habet (567, 23): „*Sed ne falsa dixisse argueretur a posteris, qui vel minima eius muri vestigia frustra quae-* „*rerent* etc.“ Aristotelis eadem fuit opinio, cuius verba Eustathius (567, 34) habet haec: „*Murum qui* „*finxit idem abolevit poeta.*“ Fuit etiam Strabonis (II, 161. A. 160). Quare non potuit sumere inde a primo belli anno exstitisse murum, ne veris falsa admiscendo omnia incerta redderet, vel, ut Eustathius dicit, ne suspicionem moveret de universa narratione fidesque demeretur iis quoque, quae vera essent.

Recte igitur mihi videor ponere nec Lycios Sarpedone duce Troiam venisse nec muro cinctas fuisse Graecorum naves, exstruendique muri illud consilium, quod Nestor (*H* 338) dedit, non ex rerum gestarum veritate, sed ex mente ipsius poetae haustum esse. Cui consilio quoniam coniungitur et quasi cohaeret alterum, quod est de tumulo omnium, qui ceciderunt, communi: in eam quoque rem inquirendum putavi, ut singulis quantum fieri posset expensis de universa re statueretur. Dicam igitur qua ratione quibusque locis Graeci eos sepeliverint, qui ceciderunt in bello.

Huius rei cum saepissime mentio fiat apud Homerum, apud Troiam sepultos esse eos, qui interficerentur, videmus. Menelaus si ex vulnere moreretur, futurum esse Agamemnon dicit (*Δ* 175) ut a Graecis in Troade sepeliretur monumentumque eius fieret prope urbem hostium. Eodem loco Ulysses et Agamemnon si cecidissent, monumentis exstructis sepulti essent (*α* 239. *ξ* 369. *ε* 311. *ω* 32). Quamobrem Hector Graecorum fortissimo quoque ad pugnam provocato, promisit si ipsi victoria contigisset, se corpus adversarii Graecis redditurum esse, ut eum sepelirent monumentumque facerent ad litus Hellesponti (*H* 85). Qua quidem in re Homerus haud dubie significavit Aiacis tumulum, quamquam is non ab Hectore occisus est. Situs erat in promontorio Hellesponti prope urbem Rhoeteum, non ita longo intervallo disiunctus a mari Aegaeo. Eustathius de ea re dicit (535, 15): „*notandum ex historia* „*sumpsisse poetam, quae de Aiace prope Hellespontum sepeliendo dicit: multis enim heroum ibidem* „*fuerunt sepulcra, ita ut procul in conspectu essent navigantibus*“ (cf. Strab. XIII, 103. A. 890. Eust. 237, 16. Plin. h. n. V, 30, 125). Multorum heroum sepulcra cum ibi fuisse dicat Eustathius, paucorum tantum nomina novimus, ut Patrocli, Achillis, Antilochi (*γ* 109. *ω* 77). Et Achillis quidem tumulus in Sigeo erat in ipso introitu Hellesponti (Eur. Hec. 522. schol. Plin. h. n. V, 30, 125. Her. VII, 94. Strab. XIII, 110. A. 896. 116. A. 900. 103. A. 891. Xen. Hell. III, 2, 17). E regione Sigei in Chersonneso situm erat delubrum Protesilai prope Elaeuntem urbem Aeolum, diu id cultum a Graecis opulentumque pretiosissimis donis (Thuc. VIII, 102. Her. IX, 116. VII, 33. Paus. I, 34, 2. III, 4, 5. Strab. VII. fr. 52. Philostr. her. 2. Tz. ad Lyc. 532).

Pari modo Troianorum quoque sepulcra in ea regione fuerunt, ut Hectoris in ea urbe, quae appellatur Ophrynium, unde, cum fame premerentur Graeciae civitates oraculi iussu, ossa eius in Graeciam deportata et in Boeotia humata esse dicuntur (Paus. IX, 18, 4. ad *N* 1. Tz. ad Lyc. 1194. 1208. Strab. XIII, 103. A. 889). Hecubam in Chersonneso prope Cynossema ab Ulysse sepultam esse notum

2

est, quamquam aliis quoque locis eius monumenta fuisse dicuntur, ut in Sicilia. Eetionis, qui pater fuit Andromachae, monumentum, quod Thebis Troicis fuit, Homerus ipse quale esset descripsit suavissime (*Z* 416). Quid, quod Pandari quoque sepulcrum prope Simoentem fluvium situm fuit (Steph. *Ζέλεια*). Quare cum talium rerum tam frequens esset in illa regione memoria, non inepte Pausanias (VIII, 12, 5. cf. ad *N* 459) extra Troadis fines vita excessisse putavit Anchisen, quoniam Aeoles, qui in ea regione habitarent, eius viri sepulcrum non haberent. Sed erravit vir egregius, quod putavit Anchisae nullum in Troade esse sepulcrum: ostendebatur enim in Ida monte (Eust. 850, 32).

Duo sunt, quae probari puto his quae modo dixi: alterum solitos fuisse Graecos sepelire eos, qui in pugna cecidissent, in agro Troiano, alterum multa ob eam rem fuisse in ea regione monumenta et nota fuisse nomina eorum virorum, qui ibi sepulti essent. Iam vero Nestor quo loco murum exstrui vult, tumulum quoque fieri iussit, ad ossa condenda, quae, si quando domum redituri essent, asportarent et ad liberos mortuorum deferrent. Qua quidem in re non negligendum videtur, quod non ea qua solet arte id dixit Homerus, sed verbis utitur durioribus. Ita enim dixit, quasi sua quisque ossa domum deferret (*H* 334. *ὥς κ' ὀστέα παισὶν ἕκαστος οἴκαδ' ἄγῃ*): cuius negligentiae eam causam fuisse crediderim, quod mutata sunt nonnulla in his versibus nescio a quo. Similis enim est ratio sequentium, ad quae iam transeo. Non enim recte Nestor indiscretum (*ἄκριτον*) vocat quem construi vult tumulum: cuius partes si nullo discrimine dignoscerentur, non poterat fieri ut finito bello singulorum ossa secernerentur. Quae erat ipsa causa, cur exstrueretur. Debebat aut nullus fieri aut cuius partes facile discernerentur. Viderunt hoc veteres, ut est in scholiis, viderunt porro aliud gravissimum. Negant enim recte de asportandis ossibus praecipere Nestorem. Sed potius ipsa interpretum verba afferam (ad *H* 334): „***Virgula hi versus notantur, quia non propterea mortui cremabantur, ut ossa asportarentur,*** „***sed quia moris erat. Cremabantur enim etiam, qui domi suae mortui essent. Apud Homerum enim*** „***universe quo quis loco moreretur, ibi eius ossa condebantur.***" His similia vel eadem aliis locis (*γ* 109. *Σ* 332) repetuntur ab interpretibus. Qui cum recte sensissent ea, quae hoc loco essent quaeque aliis, repugnare inter se et praeter consuetudinem esse, quae praeciperet Nestor, casu errasse poetam rati, non consilio et voluntate id egisse, videntur mihi non recte perspexisse quae esset rei natura atque causa. Nam si ei narrationi, quae erat de bello Troiano, nova addere vellet poeta et aliorum ducum certamina cladesque exponere, quorum nulla in ea regione exstabant vestigia: via ac ratio excogitanda ei erat, qua probaret sepultos non esse apud Troiam, quos ibi necatos esse erat dicturus. Nisi talem rationem invenisset, facilis erat et in promptu refutatio nec tam grammaticorum, qui longe repetita compararent, quam cuiusvis, qui oculis vidisset litus Hellesponti. De Sarpedonis corpore quid excogitasse videatur iam demonstravi. Sed addam aliud exemplum. Constat Boeotos e Thessalia profectos multo post bellum Troianum in eas regiones venisse, quae postea Boeotia ab incolis dictae sunt. Non igitur potuerunt Atridis auxilio venire ex Boeotia, ut narrat Homerus, ut qui nondum essent in ea terra. Quod vero Thucydides dixit partem aliquam eorum, quam multo post ceteri secuti essent, iam belli Troiani tempore in Boeotia fuisse et auxilia Troiam misisse, recte, ut multis videtur, censuit O. Muellerus (Orch. 393) captum auctoritate Homeri, ut explicaret quae inter se repugnarent, coniectura id sumere scriptorem, non narrare quae memoriae prodita essent. Quamquam quodam modo Strabo quoque (IX, 248. A. 615) Thucydidi assentitur. Et Boeotorum Homerus quinque duces fuisse dicit, quorum secundum Pausaniam (IX, 4, 2) solus in Graeciam rediit Leïtus: tres ipse Homerus interfectos esse narravit (*O* 329. 340. *Ξ* 450). Quorum quidem sepulcra si quis requireret, non poterant ea apud Troiam ostendi, ut qui ipsi nunquam ibi fuissent. Finxit igitur poeta fuisse, quorum ossa asportata essent in Graeciam. Ut Arcesilai, cuius reliquias Leïtum domum devexisse legimus apud Pausaniam (IX, 39, 2). Porro fama erat Thersandrum quoque Polynicis filium cum Agamemnone in Asiam profectum, occisum esse a Telepho

in Mysia. Et fuit eius monumentum prope Caicum, Elaeae urbe Aeolica, in foro (Paus. IX, 5, 7). Non dubito quin hic bis narretur eadem res. Recentior altera de Leïto narratio post Boeotorum demum migrationem coepta, cum Homeri auctoritate confirmaretur, effecit, ut altera oblivione obrueretur, quamvis propius accederet ad veritatem. Valet enim de Leïto quoque, quod supra de Sarpedone. Et Sarpedonem quidem Iupiter ipse in Lyciam transtulit: Leïtus vero aliique, qui eadem conditione essent, Graeci ut in Graeciam delati viderentur, effecit poeta illa Nestoris oratione. Apparet ficta esse haec omnia nugasque poetae, non veritatem rerum gestarum. Est autem illa quam modo dixi oratio (*H* 327 s.) aut universa composita aut certe immutata, eo consilio ut quae post eam adderentur, constare possent cum monumentis haud dubiis rerum gestarum. Et septem eius versus qui primi leguntur nihil habent, in quo offendamus. Octavus vero et nonus (334. 335), quos veteres iam notaverunt, quo consilio huc illati videantur satis dictum est. Eodem refero eos, quibus murum exstrui iubet Nestor. Interpositus est decimus cum priore parte undecimi (336. 337). Qui cum non constent cum superioribus, quia indiscretus vocatur is tumulus, quem discrimina partium habere oportet, nescio an sint profecti a priore poeta, postea relicti per errorem ab eo, qui universam hanc orationem immutavit.

Est autem haec Nestoris oratio quasi cardo universae de Iliadis partibus quaestionis, quae nostris temporibus multos exercuit. Nam quae dubia vel subditicia videri possint, ut ante eam perpauca invenies (non enim hic minima curo), sic post eam permulta. Dicam autem de singulis, cum alia aliorum sit ratio: non tamen eo quo sunt apud Homerum ordine, sed arripiam quaecunque proxima sunt superioris disputationis. Quae quidem triplex fuit. Demonstratum enim est Sarpedonem non venisse Troiam, tum murum nec oppugnatum nec omnino factum esse, denique praeceptum illud Nestoris de asportandis ossibus artificium esse a poeta institutum ad decipiendos animos audientium.

Neque vero illa quae supra dixi omnino nova erant, quae primus aut invenissem aut pronuntiarem. Non enim tam mea posui, quam vetera repetivi, verbis in ea re usus ab Eustathio vel ex scholiis assumptis. Videtur igitur oratio mea, rerum gestarum sive probabilitate sive veritate confirmata, rediisse ad grammaticorum auctoritatem. Quibus, quamquam tam multa et acute viderunt et subtiliter disputaverunt, ut, si eos sequi possim, semper mihi ipse afferre videar maximum ad veri inventionem adiumentum, non tamen ita deditus sum, ut totus haeream in eorum sententiis. Eam enim quae hic proposita est quaestionem video eos inchoasse, perfecta plenaque ut sit non effecisse. Nec profecto quae fuit summorum virorum ratio unquam eam potuerunt absolvere. Ponam exemplum ut quid sentiam intelligatur. Qui enim esset cursus mutationum in rebus publicis, a quibus initiis proficisci solerent civitates, quo commutationum ordine ad interitum pervenirent, egregie id quidem intellexerunt homines Graeci, omnium optime persecutus est Aristoteles vir praeclarus. Cum enim tanta copia exemplorum esset, quae aut ipsi oculis vidissent aut facile repeterent ex historia, non difficile erat ingeniis acutis verum invenire ac de universa ratione recte iudicare. Sunt vero etiam alia, quae non eodem modo repetantur, quo civitatium ortus atque interitus. Ea semel in singulis populis videmus nasci, crescere, exstingui. Haec est mythorum natura. Qui quamvis infinita minimarum partium varietate constent, habent tamen eas ita inter se coniunctas atque quasi implicitas et colligatas, ut unum corpus efficiant. Hos apud Graecos multi viri et ii egregiis ingeniorum acuminibus praediti duxerunt nihil esse nisi nugas, alii vero perpaucis admodum demptis vel paululum immutatis putaverunt res antiquissimis temporibus gestas iis exponi. Neutri recte sensisse videntur esse mediam quandam rationem eam, qua nos in singulas partes inquirendo, quae a sapientibus viris subtiliter excogitata sunt vel de rebus divinis vel de antiquissimo rerum humanarum statu, discernere et segregare conamur ab iis, quae illis vel casu ut fit vel negligentia vel consulto adiecta sunt. Eadem quae mythorum est eorum carminum ratio, quae versantur in mythis, ut Homeri Hesiodique. In quibus multa a gramma-

ticis Graecis recte perspecta esse quis negabit. Nam intellexerunt et versus subditicios esse permultos et recte plerumque argumentis indicarunt qui essent. Quae abhorrerent ab usu dicendi, quae non ad veritatem narrata essent senserunt. Sed saepe versantur in rebus parvis, interdum etiam ridiculis. Quot libros de navium recensione confecit Demetrius Scepsius, cum nimia quadam diligentia, ne dicam morositate, urbes, duces, fabulas denique cuiusvis generis persequeretur? Multi sane in hoc genere doctrinam magis ostendisse videntur, quam adhibuisse ad explicandum: nemo infinita paene rerum copia congesta ad inventionem argumenti adiunxit absolutionem argumentandi. Quae si ita sunt, nostrum est, quae illi inchoata reliquerunt, persequi et si modo fieri potest ad conclusionem perducere. Id ut faciam iam tentabo.

Continentur autem res Sarpedonis iis fere libris, qui ordiuntur a muri oppugnatione. Quibus enim superiorum librorum locis mentio fit Sarpedonis Glaucive (sunt vero omnes quatuor), eos non a primo poeta profectos, sed postea non recte illatos esse supra demonstravi. Recte commemorantur hi Lycii in duodecimo libro iisque, qui proxime sequuntur, maxime sexto decimo et septimo decimo. Nec commemorat tantum eos poeta, sed plurimum versatur in eorum pugnis narrandis. Quae vero est de oppugnatione muri narratio, ea ita cum Lyciis coniuncta est, ut his demptis nulla sit. Hi igitur libri, dico duodecimum cum nonnullis sequentium usque ad decimum septimum, res continent fictas a poeta: quae vero in priore parte Iliadis narrantur, si non vera sunt at certe videbantur esse vera et poetae et iis, qui eum audirent.

Huius rei similis est ratio eorum poetarum (cyclicos vocant), qui antehomerica et posthomerica scripserunt. Cum enim decem annos apud Troiam pugnatum esse putaretur, non facile, quae de bello illo vulgo ferebantur, sufficiebant tanto temporis spatio. Nam si revera per decem annos bellum fuisset, haud dubie multo plura, quam quae narrabantur, accidissent memoratu digna. Quare quae videbantur deesse, praebuerunt ea probabilem causam fingendi nova, quibus continua et plena efficeretur narratio. Nam si mythum vocamus eum, qui in ore fertur omnium, quem putabimus populum potuisse memoria comprehendere tantam nominum copiam, quanta est in quibusdam Iliadis partibus et inveniretur haud dubie apud cyclicos quoque, si eos legeremus, quae porro gens videtur delectari potuisse toties repetitis certaminibus, quae nihil haberent singulare praeter nomen? Nec profecto talia a principio habuit Graecorum de Troia expugnata mythus. Habuit altercationem Achillis et Agamemnonis, habuit porro praestantissimorum ducum aliquot certamina non ea multa sed insignia, certe non longas pugnarum enarrationes. Multa non tam exponebantur quam significabantur. Ut urbes terra marique expugnatae ab Achille, duodecim mari, undecim terra, quarum Troia ipsa fuit duodecima, ut idem esset numerus. Quoad haec ore vulgi ferebantur, nemo sensit ea pauciora esse quam pro numero annorum. Ubi vero semel initium factum est carmine ea enarrandi, cum intelligeretur multa deesse ad explendum decem annorum spatium, poetae primum ea arripere coeperunt, quae in fabulis breviter indicata erant, tum his quoque occupatis eo delati sunt, ut nova ad arbitrium fingerent. Huc refero ea, quae de Penthesilea, de Memnone*) narrantur: quae haud scio an nemo pro veris sit habiturus. Multi enim e ducibus ceciderant in pugnis: de Thracum ducibus vide Δ 525. Z 7. Itaque ut aliae pugnae esse possent, novi erant inveniendi.

Quae inventio profecto non pertinet ad universos, qui nunquam senserunt esse, cur plura fingerentur, sed potius ad singulos, dico eos poetas, qui post Homerum res belli Troiani carminibus enarraverunt. Desierunt igitur aliquando illae fabulae libere vagari in ore omnium et transierunt in arbi-

*) Memnonis quoque monumentum prope Troiam ostendebatur, Ael. h. a. 5, 1. Str. XIII, 89. A 878. et appellabatur in ea regione Memnonis vicus: sed haec dubia sunt: fuit enim Memnonis sepulcrum in Syria, Str. XV, 317. A 1058.

trium paucorum. Quas exorsi sunt cuncti tacito quodam consensu, ut fit in iis, quae universi populi non singulorum sunt, eas pertexuerunt et auxerunt perpauci. Dixi hos esse cyclicos quos vocamus poetas. Sed eorum librorum, quibus demonstratum est consulto res fictas narrare poetam, maxime trium illorum (*M*, *Π*, *P*), num quae est alia ratio? Profecto nulla. Quam enim rationem longius persecuti sunt cyclici, suis commentis augendi veteres fabulas, inchoata ca est in his libris. Itaque si argumentum spectes, media est eorum ratio inter antiquissimam Iliadis partem eosque poetas, qui post Homerum vixerunt.

Iam mihi liceat, quam paucissimis potero, repetere ea, quae abhinc duos fere annos, nondum his quae modo exposui ad liquidum perductis, de iisdem libris dixi, principio argumentationis a longe alia re sumpto *). Dixi enim (nihil pono nisi capita rei) praepositiones *ἐν*, *ἐξ*, *εἰς* in priore Iliadis parte nominibus addi earum tantum rerum, quae certae ac definitae sint sensibusque percipiantur, qualia sunt: in aqua, ex aqua, in aquam: non addi nominibus earum rerum, quae sint infinitae ac mente non sensibus percipiantur, non igitur inveniri in hac parte Iliadis talia qualia sunt: in bello, e bello, in bellum. Non enim bellum ipsum oculis cernimus, sed homines dimicantes: bellum id esse cogitamus. In iis vero libris, qui medii fere sunt Iliadis, saepissime invenimus: in bello quaeque eiusdem generis sunt. Adduntur enim in his libris illae praepositiones iis quoque nominibus, quae res in cogitatione sola positas, non sensibus perceptas significent. Apparet in his immutatam esse sermonis rationem. Neque potuit tantopere immutari brevi temporis spatio, quale est unius hominis vita. Quare tum temporis statui alium fuisse poetam, a quo superiores libri profecti essent: alium porro, a quo hi, qui medii collocantur. Quod tum argumentis ex usu loquendi desumptis statui, id egregie confirmatur iis, quae supra exposui. Qui enim alium sequuntur dicendi usum, iidem libri magis etiam differunt, si res spectes. Nimirum qui illos scripsit cecinitve poeta, narravit quae vera aut essent aut ipsi esse viderentur: qui vero hos quae sciret falsa fictaque esse, omni artificio annixus, ut pro veris haberentur. Indignum id quidem poeta videri possit. Quid enim statuemus de eo, qui operam dedit, ut legentes falleret. Sed mitto id. Certe utrumque satis per se magnum: sed illud maius, quod in eosdem cadit libros, duodecimum cum nonnullis sequentium usque ad septimum decimum fere, quamquam paucis talia definiri non possunt. Septimus enim liber, quo continetur Nestoris illa oratio, si usum loquendi spectes, pariter atque octavus, paululum discedit a prioribus et accommodare sese videtur ad rationem sequentium. Ceterum de octavo difficillimum est certi aliquid affirmare. Nam quae prima est Iovis oratio, non solum pulcherrima est sed etiam maxime necessaria. Nisi enim Iupiter vetaret deos in pugnam ire, nec promissis staret (pollicitus enim est Graecorum cladem), nec intelligerentur quae sequuntur. Reliqua vero pars eius libri habet quaedam, quae multis dubia visa sunt. Sed de his exponere longum. Muri commemoratio inest quidem, sed ita ut non semper fuisse sed non recte ab aliquo illata esse videatur. Hinc patet in septimo atque octavo libro immutata esse nonnulla, alia sicut antiquitus fuerint relicta. Nimirum oportebat haec accommodari ad ea, quae sequuntur. Ii porro libri, quibus Achillem rursus pugnantem induxit poeta, vicesimus cum duobus sequentibus, propius accedunt ad rationem priorum librorum, sive usum loquendi spectes sive res. Indicavi quasi fines, intra quos ea continentur, quae et argumento et dicendi ratione differre dixi. Sed ab utraque parte in confinio, ut ita dicam, posita sunt, quorum singularis est ratio: ab altera scutum Achillis, ab altera Dolonia cum legatione ad Achillem missa. Doloniam iam dixi a Pisistrato huc illatam esse. Non nego aptissime eius locum inventum esse a Pisistrato, si collocanda erat. Certe non est necessaria: quam deesse nemo sentiret, si non

*) In libro qui inscribitur: Die allmäliche entstehung der gesänge des Ilias, nachgewiesen aus unterschieden im gebrauche der praepositionen. Göttingen, Vandenhoeck u. Ruprecht.

legeretur. Idem valet de legatione, quamquam de hac scio esse, qui aliter sentiant. Ne scuti quidem descriptio necessaria: etsi est pulcherrima: quare veteres quoque eam virgula notaverunt. Haec tria eo demum tempore huc illata esse credo, quo e magna copia carminum ea colligi coepta sunt, quae in unum hoc corpus coniungi possent, quod vocatur Ilias. Alia quoque carmina fuisse non negaverim, quae pertinerent ad bellum Troianum. Sed ea interierunt, quia non tam facile huic corpori addi poterant. Sed haec longius persequi non possum. Ea quoque, quae modo dixi, diu dubitavi num proferrem, sed non potui aliter explicare quae mihi videretur ratio illorum, quae propria sunt huius disputationis. Ad haec iam redeo. Nempe ad muri oppugnationem et res Sarpedonis.

Videamus qui haec exposuit, qualis fuerit poeta. Certe non idem, qui priores libros scripsit. Id enim effectum puto hac mea duplici argumentatione, ut non ab uno universa Ilias composita sit. Non hic curabo quot fuerint poetae: ne omnia simul agere videar. Ponam duos fuisse. Alteri tribuam eos libros, qui sequuntur duodecimum: alteri superiores usque ad octavum fere. Hos comparabo.

Alter versatur in fabulis omnium sermone tritis, quibus quae res antiquissimis temporibus gestae essent ad veritatem narrari et ipse poeta credebat et eius populares. Alter cum ad eorum, quae ille narraverat, similitudinem nova finxisset, variis artificiis efficere conatus est, ut quae sciret esse falsa, popularibus vera esse persuaderet. Dixit igitur ille vera, hic simulavit se dicere. Ille verbis ornare poterat, immutare res vel addendo vel demendo vel aliter narrando non poterat: simplex enim et semper eadem est ratio veritatis, semper sibi constat nec vult immutari iis rebus, quas nos concupiscimus vel declinamus. Non igitur id dicit, quod ipse sentit: sua celat dum aliena profert. Alter vero nihil habet nisi sua: in quibus certe utcunque libebat versari poterat. Quae enim ipse fingeret, quocunque volebat modo narrabat. Ille non tam sua vice fungitur quam popularium: ad omnes enim pariter, quae exponebat, pertinebant. Debebat igitur iis uti tanquam alienis, ita ut qui eorum essent quasi domini eam, quam sequeretur, rationem probarent. Hic quamquam multis, ut demonstravi, rebus impeditus est, multo tamen liberius ea, quae ipsi placebant, sequi poterat, dummodo ea, quae ipsius propria essent, efficeret similia eorum, quae omnium essent communia. Ille nihil aliud agebat, nisi ut, quae in varias partes discerpta hic illic ferrentur, in unum corpus conferret ordineque disponeret. Quare naturae quidam impetus eum ad carmen componendum adduxisse videtur. Eum enim non certa quadam doctrina institutum atque arte ad carmen componendum adductum, sed natum putamus poetam, qui dispersa colligat, incomposita componat, efficiat denique ut eorum species una et pulchra sit. Quae si cadunt in illum, quem priore loco posui, non pariter in alterum. Qui profecto magis curabat, quae narrabat, quam quomodo: quod quo magis fecit, eo minus poetae officio videtur functus esse. Non enim tam res, quas quis narrat, pertinent ad poetam, quam ratio modusque verbis eas ornandi. Narravit igitur ille aliena ut poeta, hic sua ita ut poetam, qui esset natura, imitaretur arte. A principio enim factum esse videtur, ut nondum inventis doctrinis, motu suo libero et soluto, praestantissima quaeque ingenia ad poesin maxime incitarentur in eaque re multum adiuvarentur non disciplina vel scientia, quibus carebant, sed studiis popularium in eandem rem impensis. Hinc exstitit exemplorum copia: ad quae sequentes poetae se accommodare potuerunt. Brevi enim tempore observatum est quibus de causis alia laudarentur alia displicerent, quae potissimum compositio partium apta esset, qui verborum ornatus aures audientium maxime oblectaret. Quae observata et notata abierunt in regulas et praecepta scribendi sive componendi carminis: ut fit ubicunque multorum ingenia se contulerunt ad elaborandum in eodem genere, qualecunque id est. Haec vero, quae dixi, praecepta in unum coacta, partibus distributa, exemplorum copia illustrata artem doctrinamque videntur effecisse. Duo hinc apparet esse genera poetarum. Alterum quod non arte observatisve praeceptis, sed concitatione quadam animorum accedat ad carmen componendum et incidat in pulchrum magis vi ingenii et impetu quasi divino, quam ratione

humana: alteri propensiores ad imitandum, multorum certe carminibus lectis et comparatis, dum praecepta sequuntur ex illis desumpta, facile sese accommodant ad praestantissimi cuiusque exemplum. Ars enim non tractatur nisi simul a multis, inter quos qui maxime excellunt ceteros ad suum exemplum trahunt. Quod cum saepius apud varios populos fieret, poetarum scholas recentiores appellaverunt.

Non ignoro ea, quae secundo loco posui, apud Homerum non esse absoluta nec ad finem perducta: inchoata tantum dixerim. Nam ut nihil est in natura rerum, quod se universum profundat et quod totum repente evolet, sic haec quoque lenioribus principiis natura ipsa praetexuit. Nostris enim poetis si mediam Iliadis partem comparaveris, priori generi poetarum eam tribues: sin eandem cum superioribus libris, certe alteri. Non enim haec elegantius suaviusque dicta esse putaverim, illa minus apte, neque magnitudine atque quasi gradibus ea differre, sed ipso genere. Quid enim gravius, quid potest maiorem vim habere, quam unum illud de quo dixi, hic vera narrari, illic aperte falsa? Quae poeta cum fingeret ad aliorum exemplum et quasi normam accommodata, num quid aliud nisi imitatus est eos, qui ante eum fuerant, poetas? Cuius imitationis in minimis quoque rebus, si singula perscruteris, inveniuntur vestigia. Sed id late patet neque hic transigi potest.

Quare hic finem faciam disputationis meae. Ita enim comparati sumus a natura, ut etiamsi insit in animis nostris vel maxima cupiditas veri investigandi facileque nos ducat ad summos labores suscipiendos, detur tamen etiam aliquis remissioni locus. Nunc vero et dies et locus avocant animum ab hac severitate doctrinae suadentque, ut his curis studiisque omissis praesenti fruamur laetitia. Cum enim semper nos deceat animo grato ac pio memoriam repetere eorum hominum, qui praeteritis temporibus non solum ipsi inter aequales insignes fuerint, sed etiam virtutis suae tam praeclara monumenta ediderint, ut in omne futurum tempus fructus optimos ac saluberrimos posteri inde capere possent: certe hic ipse locus nos admonebit **Henrici a Witzleben,** Wendelsteiniensis. Cuius in nos merita si mecum animo reputo, vereor ne non possim iustis eum laudibus ornare. Cum enim intellexisset vir praeclarus ad recte honesteque vivendi rationem nihil optimis literis magis valere, quam potuit maxime operam dedit, ut earum studia iuvaret atque aleret. Cuius rei cura ne inter turbas quidem civiles, tum temporis hac in parte Germaniae exortas, omissa, insigni liberalitate ac munificentia hanc scholam dedicavit, sedem Musarum bonarumque artium. Profecto *hac* ille *arte Enisus arces attigit igneas* monumentumque sibi ipse exstruxit aere perennius. Atque exemplum hominis praeclari imitati sunt summi illi viri, qui ab eius stirpe orti hanc scholam cum maxima laude usque ad nostrum tempus administraverunt. Ex quibus duos tantum mihi commemorare liceat: alterum **Georgium Hartmannum a Witzleben,** cuius singularem pietatem, iustitiam, prudentiam, cum hic versaremur, ipsi praesentes cognovimus, mortem vero summo cum luctu audivimus: alterum **Hartmannum Erasmum,** quem accepta a patribus sapientia huic scholae consulere gaudemus. Talium virorum eximia cura effecit, ut per trecentos annos usque ad nostram aetatem e variis Germaniae partibus adolescentes huc convenirent, atque in hac schola studiis operam darent imbuerenturque optimarum literarum cognitione. Id enim habent peculiare et sui quasi proprium pueritiae adolescentiaeque anni, ut parati sint ad omnes vitae honestae fructus secure percipiendos facileque se praebeant ad pulcherrima quaeque tentanda. Nos vero cum eam aetatem ageremus, ut recte vivendi praeceptis institutisque abundaremus, et eorum virorum auctoritas effecit, qui huic sedi bonarum artium praesunt, et communitas societasque cum vitae tum studiorum. Quarum altera viam aperuit ad beate honesteque vivendum, altera adolescentium animos mutuo amore imbuit duxitque ad caritatem, quae immota maneret ad omnes vitae casus. Hinc exstitit illud communis amicitiae vinculum, quod etiam seiunctos longeque remotos ita coniungeret, ut saepe ad commendationem unum illud sufficeret: Fuit hic quoque Rhodosciae. Laeto igitur animo huc rediimus, ut memoriam repeteremus adolescentiae laete peractae fruerenurque amicorum carissimorum am-

plexu. Multos sane deesse sentimus e magno eorum numero, quibuscum hic quondam versati sumus. Neque seniores tantum lugent tot amicos morte absumptos, sed iuniorum quoque vix ullus erit, quin aliquos desideret, quos hic secum futuros esse speraverit. Sed fert hanc rerum vicissitudinem incerta vitae humanae conditio. Quare, dum amissa lugemus, ne ea spernamus, quae ante oculos nostros posita laetitiam gaudiumque afferunt. Quid enim iucundius, quid suavius dici aut fingi potest, quam hic tot amicorum laetissimus conventus atque eius loci ipse aspectus, cuius recordatio etiam absentium animos mira dulcedine capere solebat. Profecto illud poetae huc cadit: *Ille terrarum mihi praeter omnes Angulus ridet.* Quare nunc, cum nobis contigerit huc redire, revisere haec loca, frui denique hominum amicissimorum sermone: precamur Deum Optimum Maximum, ut laete riteque atque cum bono huius scholae fructu hanc diem agamus.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.